



ELEGIA,

IN LAU-
DEM ILLUSTRIS-
SIMI PRINCIPIS DOMINI,
DOMINI BALTASARI DEI GRATIA, EPI-
SCOPI VRATISLAVIENSIS, LIBERI
BARONIS PLESNENSIS, SUPRE-
MI REGIAE MAIEST. IN
VTRAQUE SILESIA
CAPITANEI.



A IOANNE VISCHOVINO
*Artium Liberalium Baccalau-
reo, composita.*

IN ZOILVM.

*Este procul Momi, fugiat Sycophanta prophanus,
Carpere quod possis nil modo liuor habes.*

VIENNAE AVSTRIAE, EXCVDEB. AT

Michael Zymmerman. Anno,

M. D. LVIII.



NOBILI
AC GENEROSO

DOMINO, DOMINO STANISLAO ROZDRAZEVSKY, COMITI DE ROSDRAZEVV, HAEREDI IN POMSTORE, DOMINO SVO GRATIOSISSIMO SALV

TEM, RERVMOVE SVCCESSVS

FOELICES PRE-

CATVR.



Quamuis me plurimorum negotiorū, Vir Generosissime, impediuit in hac mea noua studiorum iterum compositione expeditio, quo minus haec quae antè excogitaram virtutis, laudumq; Carmine monimenta Illustriss. Principis D. Domini nostri gratiosissimi exequerer: Tamen tantis conatibus tantaq; lucubratione apposita, quò nihil in me deesset, tua G. haec efflagitante id operis exequi conabar, cum te praesertim etiam nil praeter bonum (vt quidem dignum iudicari debet) Prin. Illu. exoptantem passim audiuerā: tū quo sociam videas me in ea arte, quae magni olim apud sum

A ij mos

mos orbis heroes, & quosq; præstantissimos haberi con-
suevit, aliquid temporis detriuisse. Qua quoq; ritus sa-
cri à patribus nostris, diuinæq; laudes, post traductum
populum per rubrum pelagus à Mose, alijs nec non di-
uino spiritu afflatis sunt celebratæ. Hic itaq; Comes
Gen. habes nostræ nostrarumq; vigiliarum primordia
& examina, quæ (vt credo) nemini prodesse, nemini
quoq; obesse poterint. Accipiesq; hæc animo grato, à
me, cum maiora debeam, tibi dedicata. Quo tandem
me tempore commodiore ad maioræ cupidissimum red-
des tuoq; hæc nomine decorabis. Vale.

Datum Viennæ Austriæ Calendis May, ANNO
salutis M. D. LVIII.

Tuæ Genero:

Semper obsequiosus.

Ioannes VVischouinus, Artium Li-
beralium Baccalau-

reus.

MATTHÆVS PETRIK.

Carperet obliquo si quis tua carmina dente,
Quid faceres? Musæ non viciosa ferunt.

IOANNES VVISCHOVINVS.

Quid facerem, quæris? tandem mihi fide sodalis
Omne mihi vicij, consulat, oro, boni.

SEQVITVR

ELEGIA.



Vnde mihi capti veniant vestigia curtus,
Quis feret auspiciū quibus rogatus opem?
Cur rapit influctus timidum me Musa salaces,
Quod cælum manibus subdidit ipsa meis?
Impulit & tenui carmen cantare cicuta:
Ingenium poterit, res superare, meum.
Vestrum Piërides, cum vos coluere Poëte,
Imploro auspiciū, turba beata, modo.
Verba Sophoclæo diducite digna cothurno,
Et vos Castaliæ quæso fauete Deæ.
Huc tua me virtus rapuit clarissime Princeps,
Et stimulum laudis verba dedere mihi.
Huc tua Nobilitas, quæ tota splendet in ora
Slessensi, gens qua stat benè fulta soli.
Gentis honor, cuius laus est celebrata per orbem,
Quam Præsul sancta conditione regis.
Hæc tua si tandem coner recitare sonora
Nomina, quæ tantum condecuere Virum.

A iij Siq;

Siq; tuas pergam latiali promere versu
Laudes, ingenium comprimet, istud onus.
Hoc tamē in pelagus quid me petat, inscius ipse,
Non grauitas animo competit ista meo.
Hanc adeo, quamuis horrēt mea mēbra. Sed illo
Pectine non cultus, non decor vllus, inest.
Haud ego Naso tuæ similem modulabor auena
Musam, nec neruos concelebrabo tuos.
Sic à Calimachi distat mea tibia cantu,
Est sicut vitæ, fors odiosa, meæ.
Icarus vt quondam superas, optarat ad auras,
Deuolitare, patris spernere iussa sui.
Hic miser immensas, liquet, vt signauerat vndas,
Cum plumis caruit, Dedala cæra, suis.
Quoq; ego nunc cursus cupio protēdere nostros,
Dia Thetin nostræ siste quieti rati.
Principiū vnde fluat dubito mihi carminis huius
Nam superat vires mens tua culta meas.
Sed tamen humana possunt hæc mente videri,
Quare in eis celerisiam mihi currat equus.
Marte potēs, populoq; ferox Germania quodā,
Iura tenens, sanctæ pacis amica fuit.
Et rudis, & curui patiens non vomeris illa,
Frugiferos nullus sollicitauit agros.
Hæc iam diues opum, Cereris, Laticisq; Lyæi,
Sydere Sceptrigeri prosperiorq; Iouis.

Ter-

Terra ferax frugum, gemmarum cumq; metallis,
Et iam Mæonio carmine digna coli.
Hæc tibi vitales permittit carpere flatus
Præful, & insigni nomine stemma dedit.
Et fecit rutilo te dignum stemmate, tandem
Concessit patrium nobile ferre genus.
Hæc, quod ad huc restat clipeo residetq; sagitta,
Sarmatico, feriat corda inimica modo.
Grata patris soboles lumenq; decusq; fauoris,
Natus ades, Clarij pulchra fauilla Dei.
Fidæ moxq; puer mandasti grammata menti,
Palladium tandem posses vt ire forum.
Nec dum prima genas obduxit barba virentes,
Esse volens varia cognitione grauis
Lustrasti promptis studij mox gressibus oram,
Hic vbi Liplenses irrigat Albis agros.
Sæpius atq; graues licuit perferre labores,
Dura sequi crebro non trepidante gradu.
Post vt odoriferos, cupiebas, sumere posses,
Eructus, quos solus datq; adimitq; Deus.
Et Ciceronis eras cultor doctiq; Maronis,
Facundo posses semper vt ore frui.
Nestoream posses properatō prendere linguam
Cursu, dulcisonam mellifluamq; chelim.
Ad campos Fabij properè mox Quintiliani,
Carpis iter, latios nil vetat ire Deos.

Phœbi

Phœbi turba, sacri cinxit tua tempora lauro,
Doctiloquæ Musæ, signa re ferre dedit.
Nam tibi qui tituli cingunt (mirabere) frontem?
Virtus hæc tanto nomine digna fuit.
Virtuti fortuna comes, variabilis illa,
Esse solet nulli, statq; manetq; loco.
Quæ quoq; firma manet nemo frustrabitur illa,
Non sectatores deserit ipsa suos.
Hæc tua, cælitibus deduxit ad astra secundis,
Nomina, nõ minimũ quæ quoq; laudis habet.
Sol prius Aethereo rubeus properabit ab axe,
Perficiet bis sex mensibus annus iter.
Quam mea tot laudes possit recitare Camæna,
Præfulem item versu concelebrare nouo.
Post ubi primorum fructus venere laborum,
Nomen & in laudes crevit ad astra tuum.
Mox Superũ factus soboles, diuũq; Sacerdos,
Spreuisti quid dant Pluto, petulca caro.
Et tutor canorum lectus, turbæq; beatæ
Rector, in immenso pars tibi prima choro.
Tempore, quo rerum non est durabilis vlla,
Quidquid ad est toto statq; caditq; solo.
Mutantur rerum Domini, terræq; marisq;
Et cito consumit singula posteritas.
Quo, tua Nobilitas superas volitauit ad arceis,
Tempore, quæ stabit nil remorante mora.

Tur-

Turbaq; Nobilium tibi mox concessit honores,
Atq; bonis nomen fecit in ore tuum.
Et qui Romanæ Dominus nunc gentis habetur,
Marte potens, fidei, tutor in orbe, sacrae.
Hic (si fas repetam) quòd te virtute potentem
Vidit, & ingenio, stemmata magna dedit.
Inde tibi tituli, quòd iam quoq; iure vetusto
Slesiaci Dominum, te licet esse, soli.
Iam tua diuina lustrantur pectora voce,
Hæcq; tibi laudum prima, perennis erit.
Principis est magni nomen tibi, nã quoq; magna
Pars tibi gentis ad est tradita, parsq; soli.
Arma tuis quamuis non sunt tangenda lacertis,
Non manibus longa est hasta rotanda tuis.
Sunt maiora tamen, quibus est submittere tutum
Te, sunt consilio quæ moderanda tuo.
Qui cupiunt armis hostes mulcere superbos,
Consilio vires, & ratione, regant.
Sic docto quondam Romæ Cicerone vigente,
Laurea facundæ, celsit ubiq; togæ.
Posses vt & rerum certos imponere cursus,
Subiacet, iniusti prendere frena potes.
Es quoq; sanctarum legum, iurisq; peritus:
Vt bene iudicio, sic probitate vales.
Ingenio velox magnum super Aethera tendis,
Extollis celebri numina laude Dcũm.

B

Quò

Quo tibi iudicij numerabo carmine laudes.
Materies huius non feret ista libri.
Hicq; tibi similem (nam non populosior vlla
Conditio est) huius non habet ora soli,
Quis non attonitus, quærens tua limina iusti
Causa, te cernens promere verba, fuit.
Seu quid contigerit, capitale nefastiæ queriue
Quod possit, nec te hæc dissoluisse piget.
Quis tua cultorum Præful venerande virorum
Limina pauper adit? quis ue rogârit opem?
Quem tua non pietas seruet? iuuet? atq; benignè
Excipiat census? expediatq; bonos.
Hoc censu grauius, tandem & pretiosius omni,
Diligis ex æquo quemq; fauore tuo.
Nec te fortunæ tenuis mouet exitus vlli,
Nec genus, & cuius conditionis opus.
Ast probitas, virtusq; viro spectatur in omni,
Estq; superbiorum non satis apta cohors.
Limina nec tenuem sic aspernantur amicum
Rara, patent celeres, hospite eunte, fores.
Est habitus talis, qualem natura benignum
Indidit, & fulcrum nobilitatis habet.
In quo pulcher honos, sunt digna natalib: ora,
Adiuncta est, sancta religione, fides.
Suntq; mala vacui fama, & sine crimine sensus,
Mens possessa omni maior inestq; bono.

Ipsaq;

Ipsaq; libertas, qua nil pretiosius vnquam
Esse potest, tanto plena pudoris inest.
Nouisti Argolico bene cum sermone Latinum,
Nobile doctrinæ nomen adeptus habes.
Seu tu vis dulces, omni quoq; lege solutos
Ferre sonos, liquida pingere verba mora.
Talia mirantur cuncti tua munera mentis,
Gensq; tuæ laudi, gaudet ouatq; tua.
Iurè quidem. Ratione tuæ stant pace virente
Vrbes, his fruitur virq; puerq; bonis.
Nec sine te poterit quid sanctus in vrbe senatus
Difficiles cum res plus rationis egent.
Et populus fati in te solatur amicis,
Inteq; auxiliij spes sibi prima sita est.
Confugiunt ad te cuncti iuuenesq; senesq;
Extincti coniunx & lachrimosa viri.
Tu Pater. Inde salus & egenis omnibus vna,
Das Eleemosynæ munera multa sacræ.
Pergite Piæriæ versu, & modulamine vestro,
Soluite Phœbææ plectra canora lyre.
Dicite magna viri totum celebrâda per orbem
Gesta, chori sacrûm pangite quæso ducem.
Felix ista dies totam cantanda per oram,
Qua tibi syderea spiritus arce venit.
Phœbus ab axe micat clarò, Musæq; nitescunt,
Hincq; tua interris fama superstes erit.

Vnde

Vnde tibi famæ nomen durabit in æuum,
Te decantabit post fâta posteritas.
Tū iam Slesia vigeat quò Delius ora,
Summat vt hac menti pignora quisq; suæ.
Slesia quò pleno floreret nomine Mundo,
Archiducem ingenui construis ecce chori.
Quaq; iuuentuti fit post Academia Mater.
Quæ queat ingenui tollere ad astra caput.
Quæ quoq; morborū sit docta resolvere nodos,
Naturæ, doceat, quid sit habere modum.
Quæ, quid Falcigeri sydus Martisq; cruenti.
Præferat exosum, monstret & omne nocēs.
Vt sumptus doctis confers locupletior esset
Dona viris, crescant qui sine fine solo.
Fœlix ille labor, dignus conamine sancto,
Fortuna illius ventilet ipsa faces.
Hoc pietatis erit sanctæ, sanctiq; laboris,
Hoc faciet sanctum viuere in orbe senem.
Perfice cæpta, bono quæ sunt modò sine locâda,
Perfice, sic nomen perfer ad astra, tuum.
Hæc animos poterit rerum succingere cursu,
Tandem non domitis indere frena feris.
Sed neq; millenis laudes comprehendere cartis,
Possẽm, nec facili hæc sunt recitanda stilo.
Fortunate senex, durent tua tempora vite,
Tuta precor semper sit valetudo tua.

Iam

Iam tu diuinas dignissime Præful ad aras
Tendis, & ingenium tendit ad astra tuum.
Flumina dū pisces, volucres dūmq; aëra voluēt,
Aericeo cellas melle referret apis.
Lumine sydereo donec lustrabitur Orbis
Et iuga dum frendens montis amabit aper.
Dūmq; teget viridis siluæ labrusca racemos,
Tempora non laudis sunt moritura tuæ.
Et prius immensum vernabit floribus æquor,
Vir quoq; Caucaeam vomere vertet humū.
Hæc prius á celeri desisteret Odera cursu,
Inq; suos primum pergeret ipsa sinus.
Quâ quoq; tot laudū perdat numerosa vetustas,
Nomina, quæ breuibus sunt assecuta moris.
Musa mihi tanto flexum caput, oro, labore
Erige, ser promptas officiosa vices.
Nunc mihi cantatos Princeps Claris, versus
Confule, sic vicij nil erit, oro, boni.
Et si fortè tua minor est mea pagina laude,
Indignusq; mea littora tango manu.
Vberiore tuæ laudes celebrantur auena,
Sed rauca veniunt carmina nostra cheli,
Quæ vereor ne sint tibi fortè molesta; precamur
Da veniam quidquid nostra Thalia tulit,
Carmina non iacto, manibus quæ missa recentis
Vatis, sed qua sint condita mente vide.

B ii Et

Et modo p̄ccata Præful dignissime mente
Adsis, huic timide porrige vela rati.
Da placidos vultus, p̄odus, puto, carmina nostra
Post aliquod tempus, sunt habitura suum.
Nam fauor ingenuus dat sæpe iuamina menti,
Excitat ingenium, non leue calcar habet.
Non me (crede precor) miserum vesana libido
Rerum, ad eas pelagi præcipitavit aquas.
Nec mihi tantus amor cordi, nec tanta cupido
Auri, sunt stimuli laudis in ore tuæ.
Sic placuit pietis hæc Carmina ludere pratis,
Gestaq; virtutis sic recitare tuæ.
Virtus, & probitas, tua magna potentia Præful,
Menti, deliciae sæpe fuere, meæ.
Hærent virtutis tantæ confinia nostro
Pectore, de quorum postquoq; laude canam.
Sed precor incepto fer opem venerande labori
Præful, currentis dirige navis iter.
Post aliquod sublime meo celerabo cacumen
Pegasidum velox, tempus adire pede.
Quid refert cultos, si tellus arida campos
Porrigat, & culti iugera magna soli.
Quos bi jugis tauris non exerceret arator,
Nec segetes horum ex fertilitate forent.
Quid prodest auri lateat si littore gemma,
Et careat tanto, quam colat, ipsa, viro.

Sic

Sic non Ausonio celebrassent Carmine Vates,
Quæ rata sic mundo iam monumenta patent.
AENEAM pietate Virum, neq; Musa Maronis
Docta daret, nomen nec meminisse suum.
Versus quos cecinit numerosus Horatius ore
Mellifluis, cantu ludere magna potens:
Nectantum lusisse melos potuisset & ille,
Abdita nec mentis pandere tanta suæ.
Si non Mæcenas tanto tribuisset honore
Arte frui, sterilis Calliopæa foret.
Ast ego perpetuos qui sum delatus ad Austros,
Magna mea patior naufraga mente, vide.
Nec scio quando mali releuabitur Anchora nostri
Quisq; dabit sancta iam mihi pace frui
Tu si quis precibus locus est miserere precanti,
Da votis mentem flectere posse tuam.
Namq; tibi cunctis est tanta potentia rebus,
Slestæ sic vno subiacet ora tibi.
Cædo manum misero tenebris caput exere deis
Nostrum, sic studijs perge fauere meis.
Atra quò possem mæstam prorumpere frontem
Nocte, mea diuum dogmata, mente sequi.
Pro quo perpetuas tandem modulamine grates
Sancte canam Præful, iure canendus eris.
Et quæcunq; meæ ventura scientia menti est,
Autorem studij te celebrabo mei.

Sig;

Si quæ sunt nostris, possent quæ ledere mentem
Chartis, errorem consule, quæso, boni.
Nec minus, vt quondã, faueas nunc, ora loquenti
Ante tua. O versu ludere parce breui.
Viuerè bis denos primum conceperat annos
Parca mihi, studij nuper adirè viam.
Et tempus iuuenile meas nec pingere malas
Cæpit, Apollineam cum modo tango, chelim.

F I N I S.

IO ANNIS VVISCHOVINI IN
Elegiam sequentem.

Omnia disperunt volucris quæ sidera cursu
Illustrant, Mundi Regna domusq; ruunt
At virtus rutilis tanquam flos germinat hortis,
Nec poterit celeri tempore scire mori.

ELEGIA DE VIRTUTIS IMMOR-
talitate Matthæi Petrzik Crum-
nouiensis.

Quicquid sub patulo viget, & seruatur Olympo,
Labitur id subito more fluentis aquæ.

Men-

Mentibus in nostris diuina potentia regnat,
Continuum præsens non habet hora diem,
Durum consumit ferrum inuidiosa vetustas,
Interit hoc præsens omne quod orbis habet.
Flosculus in culto pulchrè, qui rure virescit,
Hic si manè viget, sole ruente cadit.
Sic homines hodiè fragili cum in corpore viuunt,
Seruati tumulo luce sequente iacent.
Passibus ambiguis nunc hîc nunc errat & illic
Quilibet, in certa nec statione manet.
Oppida, quæ fuerant reliquis clarissima quondã
Incinerem nostro tempore versa iacent.
Nobilis Vrbs, nec non studiorû portus, Athenæ
Concidit in minimas en locus iste casas.
Quid referã Troas reliquis cum, quid uic Pelasgos
Gramina nata virent nunc vbi Troia fuit.
Occubuit Cræsus ferroq; peremptus Achylles
Hæctor Alexander raptus vterq; nece.
Omnia prætereunt quæcunq; teguntur Olympo
Sed viuax virtus hæc sine fine manet.
Sola facit claros, rectum quicunq; sequuntur,
Atq; suis meritis ritè placere student.
Hanc superi statuere graui sudore parandam,
Difficiles aditus ad sua tecta patent.
Præbet sed requiè postquã alta cacumina victor
Attigerit, fessus multa ferendo mala.

C Glo-

Gloria Alexandrū splendentibus addidit astris
Hectoris hinc etiam fama perennis adest
Scipio promeruit nomen quoq; posteritatis,
Effertur Cyrus laudibus ipse suis.
Belliger Augustus mundi per secula manebit
Roma triumphati dum caput orbis erit.
Sic tua fama perennis erit Clarissime Præsul,
Qui portus studij fautor, & esse cupis.
Perfice capta Deo, nec non gratissima multis,
Pergelibenter opus continuare tuum.
Excipe Castalios fontes quicunq; sequuntur,
Munifico capies munera dante Deo.

E I V S D E M.

Sole magis fulgens Virtus generosa relucet,
Et desiderium concitat ipsa sui.
Absentem etiam firmo coniungit amore:
Quos varius iunctos non finit esse locus.
Gignit amicitiae Virtus & vincula seruat
Virtute & verus conciliatur Amor.
Hostis erit turpi qui fraude notatur amicus,
A vano fuceo verus abhorret amor.

Matth. Pet. Crum.